

Fabulam lege, tum ad interrogata responde

Vixit olim in urbe Tyro pulcherrima virgo nomine Europa, regis Agenoris filia. Iuppiter, deum pater, formosissimam illam puellam flores iuxta litus carpentem videns, cum primum ad eam oculos vertit, eam amare coepit atque sine mora formam suam in taurum album mutavit. Iuppiter, hanc novam formam indutus, postquam Mercurium Agenoris boves prope mare agere iussit, ceteras petivit bestias iisque se iunxit. Tam rari coloris taurum videns, mirata est virgo atque ad eum accessit, qui primum illam procul secum tulit, tum misera cum puella iacuit. Tres habuit a Iove liberos Europa: Minoem, Rhadamanthum, Sarpedontem.

Paulo post, Europa a Iove fugit et in Cretam venit, ubi Asterio, validissimus ac probissimus vir, ante quem nemo illam rexerat insulam, et quem ante omnes Cretenses amabant, eam uxorem duxit. Eo mortuo, Minos, iam illius regni rex, contra Athenas bellum fecit, quas facile vicit. Inter pugnam vero, eius Androgeon filius, quem Minos ab uxore sua Pasiphaa habuerat, ab Aegeo, Atheniensium rege, interfectus est.

Interim rex Minos, cui Cretae cives parum bene volebant quoniam superioris regis filius non erat, Neptunum invocans: "Auxilium mihi fer" inquit "o Neptune: huc bestiam omnium formosissimam mitte, quam tibi, civibus meis omnibus spectantibus, sacrificabo: ita me amabunt et te verebuntur". Hoc audiens, maris rex, taurum album forma pulcherrimum in Cretam misit. Verum, taurum conspiciens atque pulchritudine eius admiratus, Minos eum servare constituit nec iam Neptuno sacrificare voluit sed, bestiam in domo sua occultans neque ulli alio monstrans, alium minus mirabilem taurum sacrificavit.

Cum regem non paruisse animadvertit, Neptunus – quis deum vere fallere potest? – iratus cerebrum Pasiphaeae turbavit saevusque ille deus magnum amorem et ingentem cupiditatem mulieris in corde excitavit non in maritum – sed in ipsum taurum! Minoem itaque deserens, regina taurum petivit et cum eo – horribile auditu – iacuit: natus est brevi ex illa monstrum horrendum, Minotaurum, cui caput tauri et corpus hominis erat. Illud monstrum cernens, rex Minos, perterritus atque maerens, quia uxoris factum occultare volebat, Daedalum, virum Atheniensem, arcessi cupivit, quem labyrinthum aedificare iussit, quo monstrum inclusit, quod eo loco ab Aegei regis filio Theseo, ipsa Minois filia Ariadna adiuvante, tandem necatum est.

boves agere:
boves ducere

Asterio, onis *m*

uxorem duco =
feminam uxorem
meam facio

parum = non satis

sacrificare = deo
occidere

regina = regis uxor

1) Cum Iuppiter eam vidit, Europa...

- a) oram maritimam iam petierat
- b) a deo oculos avertit
- c) flores carpere coepit

2) Cum Europam vidit, Iuppiter ...

- a) continuo eam in taurum album mutavit
- b) eam fallere constituit
- c) puellae patris boves ad litus duxit

3) Europa deum petivit...

- a) quod Iovem non cognovit
- b) quia Iovem non noverat
- c) quoniam tantum deum noscere cupiebat

4) Asterio...

- a) primus Cretenses amavit
- b) primus Cretae rex fuit
- c) magis quam superior rex amabatur

5) Minos contra Athenas bellum fecit...

- a) quia Atheniensium rex eius filium necaverat
- b) quod a civibus suis amari cupiebat
- c) postquam Pasiphaam uxorem iam duxerat

6) Minos Neptunum invocavit...

- a) quia civibus suis bene volebat
- b) se bestiam necaturum pollicens
- c) quoniam eum timebat

7) Minos Neptunum fallere constituit...

- a) illam bestiam custodiendi cupidus
- b) cum verum taurum vidit
- c) quod taurus domi se occultavit neque rex eum iam invenire potuit

8) Neptunus Minoem mentitum esse intellexit et...

- a) se in taurum mutavit et cum regina iacuit
- b) consilium ad fallendam reginam excogitavit
- c) taurum album in Minoem mutavit, qui cum regina iacuit

9) Taurus albus...

- a) Minoem puniendi gratia missus est
- b) mente a Neptuno turbatus est
- c) amore motus, ad Pasiphaam accessit

10) Minos Daedalum arcessi iussit...

- a) quia Minotaurum occidere volebat
- b) quod eum pudebat Pasiphaam cum tauro filium habuisse
- c) qui a Theseo auxilium petivit

